



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Articulus I. vtrum natura humana fuerit magis assumptibilis à filio Dei,
quam aliqua alia natura.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

etum apparebant in forma humana, verum corpus A
carnem assumptis, nunquam tamen explicuit mo-
dum illius assumptionis, nec de hypostatica vnione
quidquam dixit: imo nec priorem sententiam con-
stanter affirmat, quod illa fuerit vera caro, sed quasi
per exaggerationem interdum ita loquitur, cum a-
liis locis id neget, vt annotauit Pamel. in principio
operum, Tertul. Paradox. 2. & 19.

QVÆSTIO IV.

De modo vnionis ex parte nature assumptæ,
in sex articulos diuisa.



Inde considerandum est de vnione ex parte
assumpti. Circa quod primo considerandum
occurrit de his, que sunt a Verbo Dei assum-
pta. Secundo, de consumptis, que sunt perfe-
ctiones & defectus, assumpti autem Dei Fi-
lius humanam naturam & partes eius.

Vnde circa primum triplex consideratio occurrit. Prima
est quantum ad ipsam naturam humanam. Secunda est quan-
tum ad partes ipsius. Tertia quantum ad ordinem assumptio-
nis.

Circa primum queruntur sex.

Primo, vtum humana natura fuerit magis assumptibilis à
Filio Dei, quam aliqua alia natura.

Secundo, vtum assumpsit personam.

Tertio, vtum assumpsit hominem.

Quarto, vtum fuisse conueniens, quod assumpsisset naturam
humanam a singularibus separatam.

Quinto, vtum fuisse conueniens, quod assumpsisset humana
naturam in omnibus eius singularibus.

Sexto, vtum fuerit conueniens, quod assumeret huma-
nam naturam in aliquo homine ex stirpe de progenito.

Agit D. Thomas in hac questione de altero extre-
mo huius vnionis, sc. de natura assumpta, & fere
in tota questione solum tractat de mysterio prout
factum est, obiter tamen indicat aliquid de possibili-
tate, in quas duas partes hanc & sequentem questione
diuidemus, sicut in præcedenti questione fecimus.
Præmittenda verò esset hoc loco disputatio de sub-
sistentia, seu personalitate creata, quam Caietanus
artic. 2. latissime tractat, nisi de hac re, vt in superio-
ribus dixi, in disputationibus Metaphysicis tracta-
tum esset.

ARTICVLVS I.

Vtrum natura humana fuerit magis assumptibilis
à Filio Dei, quam aliqua alia natura.



Primum sic proceditur. Videtur, quod
humana natura non fuerit magis assum-
ptibilis à Filio Dei, quam qualibet alia na-
tura. Dicit enim Augustinus in Epist. * ad
Volusianum. In rebus mirabiliter factis, ro-
ta ratio facti est potentia facientis: sed potentia Dei facien-
tis incarnationem, que est opus maxime mirabile, non limi-
tatur ad vnā naturam: cum potentia Dei sit infinita. Ergo
natura humana non est magis assumptibilis à Deo, quam ali-
qua alia creatura.

2. Præterea, Similitudo est ratio faciens ad congruita-
tem incarnationis diuina persona: vt supra dictum est. * sed
ita in creatura irrationali inuenitur similitudo imaginis. Er-
go creatura irrationalis assumptibilis fuit, sicut humana na-
tura.

3. Præterea, in natura angelica inuenitur expressior Dei
similitudo, quam in natura humana: sicut Gregorius dicit
in homil. * de centum ouibus, introducens illud Ezechielis 28.

Tu signaculum similitudinis: inuenitur enim in Angelo pec-
catum, sicut in homine: secundum illud Job 4. in Angelis suis
repperit prauitatem: ergo natura angelica fuit ita assumpti-
bilis, sicut natura hominis.

4. Præterea, Cum Deo competat summa perfectio, tan-
to magis est Deo aliquid simile, quanto est magis perfectum:
sed totum vniuersum est magis perfectum, quam partes eius,
inter quas est humana natura, ergo totum vniuersum est ma-
gis assumptibile, quam humana natura.

Sed contra est, quod dicitur Proverbiorum 8. ex ore Sa-
pientie genita: Delitæ mea sunt esse cum filiis hominum. Et
ita videtur esse quadam congruentia vnionis filij Dei ad hu-
manam naturam.

B Respondeo dicendum, quod aliquid assumptibile dici-
tur quasi aptum assumi à diuina persona. Que quidem a-
ptitudo non potest intelligi secundum potentiam passiuam
naturalem: que non se extendit ad id, quod transcendit
ordinem naturalem, quem transcendit vno personalis
creatura ad Deum. Vnde relinquitur quod assumptibile a-
liquid dicatur, secundum congruentiam ad vnionem præ-
dictam. Que quidem congruentia attenditur secundum duo
in humana natura, scilicet secundum eius dignitatem &
necessitatem. Secundum dignitatem quidem, quia huma-
na natura, in quantum est rationalis, & intellectualis, na-
ta est attingere aliquatenus ipsum Verbum per suam opera-
tionem, cognoscendo scilicet, & amando ipsum. Secundum
necessitatem autem, quia indigebat reparatione, cum subiaceret
originali peccato. Hac autem duo soli humane nature
conueniunt: nam creatura irrationali deest congruitas di-
gnitatis: natura autem angelica deest congruitas prædicta
necessitatis. Vnde relinquitur, quod sola natura humana sit
assumptibilis.

Ad primum ergo dicendum, quod creature denominan-
tur aliquales ex eo, quod competat eis secundum proprias
causas: non autem ex eo, quod conuenit eis secundum cau-
sas primas & vniuersales: sicut dicimus aliquem morbum
esse incurabilem, non quia non potest curari a Deo, sed
quia per propria principia subiecti curari non potest. Sic er-
go dicitur aliqua creatura non esse assumptibilis, non ad
subtrahendum aliquid potentie diuine, sed ad ostendendum
conditionem creatura, que ad hoc aptitudinem non
habet.

C Ad secundum dicendum, quod similitudo imaginis at-
tenditur in natura humana, secundum quod est capax Dei,
scilicet ipsum attingendo propria operatione cognitionis &
amoris. Similitudo autem vestigijs attenditur solum secundum
representationem aliquam, ex impressione diuina in crea-
tura existentem: non autem ex eo quod creatura irratio-
nalis, in qua est sola talis similitudo, possit Deum attingere
per solam suam operationem. Quod autem deficit a minori,
non habet congruitatem ad id, quod est maius: sicut corpus
quod non est aptum perfici anima sensitiua, multo minus
est aptum perfici anima intellectiua. Multo autem maior
& perfectior est vno ad D E V M secundum esse perso-
nale, quam que est secundum operationem. Et ideo crea-
tura irrationalis, qua deficit ab vnione ad Deum per opera-
tionem, non habet congruitatem, vt vniatur ei secundum esse
personale.

Ad tertium dicendum, quod quidam dicunt, Angelum
non esse assumptibilem: quia a principio sue creationis est
in sua personalitate perfectus, cum non subiacet genera-
tioni & corruptioni. Vnde non posset in unitatem diuina
persona assumi, nisi eius personalitas destrueretur: quod
neque conuenit incorruptibilitati nature eius, neque bo-
nitati assumptis: ad quam non pertinet, quod aliquid
perfectioris in creatura assumpta corrumperet: sed hoc non
videtur excludere totaliter congruitatem assumptionis An-
gelice nature: potest enim D E V S producendo nouam
angeli-

Est homil. 34
in Euangel.
ante mediū
illius.

27.
142 q. 1. ap.
184 a. contr.
113 tertium
quartum.
In epist. 3. nō
multum an-
ticed. 10. 2.

2744. art. 8.

In corpore
art. 1.

1. p. q. 64. art.
2.

In corpore
art. 1.

Dubius
modi dici
tur natura
assumptibili-
tis.

angelicam naturam, copulare eam sibi in unitate personæ: & sic nihil præcurrens ibi corrumpitur. Sed, sicut dictum est*, deest congruitas ex parte necessitatis: quia et si natura angelica in aliquibus peccato subiacet, est tamen eius peccatum irremediabile, ut in prima parte habitum est*.

Ad quartum dicendum, quod per se totum uniuersum non est perfectio vnius personæ, vel suppositi, sed eius quod est vnum positione vel ordine, cuius plurimæ partes non sunt assumptibiles, ut dictum est*. Vnde reliquitur, quod sola natura humana sit assumptibilis.

COMMENTARIUS.

Ad intelligendam mentem D. Thom. oportet aduertere, dupliciter naturam aliquam assumptibilem denominari posse, primo denominatione extrinseca ab omnipotentia Dei, cui ex parte creaturarum solum respondet potentia obedientialis, seu non repugnantia: de qua ratione assumptibilis, D. Thom. nec quæstionem mouit, nec mentionem fecit in toto articulo, ut ex sequentibus constabit.

Alio modo potest hæc denominatio esse intrinseca aliquo modo, id est, sumpta ex aliqua intrinseca proprietate rei, & hoc modo sumitur in hoc titulo, & eodem sensu dicitur in corpore articuli, dupliciter posse naturam dici assumptibilem, scilicet vel secundum potentiam passiuam naturalem, vel secundum aliquam congruentiam fundatam in aliqua proprietate, vel conditione ipsius rei: quæ diuisio non esset sufficiens, nisi D. Thom. in dicto sensu loqueretur. Et eodem sensu negat D. Thomas in solutione ad primum naturam irrationalem esse assumptibilem, scilicet secundum intrinsecam congruentiam, & propterea in eadem solutione præmittit, creaturam denominari talem, ex eo quod competit ei secundum propriam causam & non ex denominatione ab omnipotentia Dei, quando ex huiusmodi causis diuersis, sumi possunt denominationes aliquo modo oppositæ, ut Caietanus adnotauit, & D. Thomas optime explicuit exemplo morbi, qui dicitur curabilis vel incurabilis, non per denominationem ab omnipotentia Dei, sed secundum aliquam intrinsecam conditionem eius. Et eodem modo in solutione ad quartum negat totum uniuersum fuisse assumptibile, scilicet secundum intrinsecam congruentiam, nam secundum extrinsecam omnipotentiam Dei, licet totum uniuersum non sit vnum suppositum, non tamen repugnare assumi in vno supposito Verbi, ut patet ex dictis disputat. præcedenti.

b Respondet ergo D. Thomas, humanam naturam fuisse maxime assumptibilem non quidem secundum capacitatem naturalem (hoc enim modo nulla natura assumptibilis est) sed secundum congruentiam ad vnionem, quæ ex duplici capite confurgit, primum ex dignitate intellectualis seu rationabilis naturæ, quæ sit capax ipsius Dei, & per operationem ipsum attingat: deinde ex necessitate & indigentia redemptionis, quæ duo in sola humana natura ita concurrunt, ut reddant eam maxime assumptibilem.

Obiectio.

Sed dubitabit aliquis, quia ad congruentiam simpliciter huius assumptionis sufficit dignitas intellectualis naturæ, quia indigentia redemptionis non est simpliciter necessaria, ut supra q. 1. artic. 3. dictum est, sed illa dignitas multo maior reperitur in angelica, quam in humana natura, adeo ut licet necessitas redemptionis aliquid conferat ad hanc congruentiam, magis conferre videatur excessus perfectionis, & dignitatis angelicæ naturæ, quia hæc dignitas per se magis confert ad hanc congruentiam. Et confirmatur quia in angelis etiam reperitur necessitas, & indigentia ex peccato contracta. Sed hoc vltimum facile expeditur, peccatum enim angelicum non facit congruentiam ad vnionem, quia iuxta modum prouidentie consentaneum illi naturæ, & con-

Responsio.

Alterata intrinseca conditione eius, peccatum illius est irreparabile. Ad priorem vero partem respondetur, D. Thomam in hoc discursu supponere hanc congruentiam ad vnionem, confurgere ex utroque illo capite simul sumpto, præsertim loquendo de congruentia, quæ mouit Deum ad perficiendum hoc mysterium, & ideo deficiente altera conditione, negat esse congruentiam simpliciter, etiam si alia in suo genere maior sit.

Dices. Ergo iuxta sententiam D. Thom. sic explicatam, natura angelica simpliciter dicenda est inassumptibilis, sicut irrationalis natura, in veraq; enim absolute loquendo deest intrinseca congruentia, quamquam in altera tantum ex vno capite, in altera vero ex duobus. Respondetur ex D. Tho. solutione ad tertium (& est explicatio solutionis prius datæ) ad congruentiam simpliciter, non esse omnino necessarium, ut duplex illa ratio congruentis supra posita simul concurrat, quia veraq; per se confert aliquam congruentiam, diuersæ tamen rationis: nam dignitas naturæ præcise confert congruentiam quandam, indigentia vero redemptionis confert quodammodo congruentiam necessitas, quia ergo prior ratio conuenit angelicæ naturæ, ideo potest simpliciter denominari assumptibilis, in quo differt à natura irrationali: humana vero natura dicitur simpliciter assumptibilior, id est, pluribus titulis & rationibus quam aliqua alia natura. Qui tituli cum sint dinerlarum rationum, ut dictum est, non sunt proprie inter se comparabiles, neque excessus in vno potest ex æquare alium, & ita facile procedit discursus D. Tho. de ipsa vero re latius infra dicemus.

C Argumentum secundum difficultatem non habet, quod vero D. Thom. occasione illius respondet, explicatione indiget: probat enim in creatura irrationali non esse congruentiam ad hanc vnionem, quia quod deficit à minori, non habet congruentiam ad id quod maius est, sed creatura irrationalis deficit ab vnione ad Deum per operationem, quæ minor est quam per vnionem personalem, ergo non potest habere congruentiam ad hanc vnionem. Ex quo discursu statim insurgit difficultas, nam eadem forma, & proportione applicando argumentum, concluderetur in natura irrationali non esse capacitatem, nec obedientialem ad hanc vnionem, quia quod deficit à maiori sicut non habet congruentiam ad id quod maius est: ita nec capacitatem, nulla enim est maior ratio de vna quam de alia. Vnde exemplum quo D. Thomas confirmat hoc principium, non solum de congruitate sed de capacitate procedit, Sicut corpus, inquit, quod non est aptum perfici anima sensitiua, multo minus aptum est perfici anima intellectiua.

Respondetur, illud principium, quod non potest in minus, nec potest in maius, solum habere locum in ijs quæ sunt subordinata, non vero in reliquis, ut constat ex Philosophia, & potest breuiter exemplis declarari: materia enim elementalis non est capax formæ celestis, & tamen est capax superioris formæ, scilicet rationalis, & homo non potest generare leonem, potest tamen generare hominem, quod maius est. Fieri autem potest, ut quædam sint per se subordinata quoad capacitatem, alia vero solum quoad congruentiam, ut cognitio & amor sunt per se subordinata quoad capacitatem, quia nullus est capax vnius, qui non sit alterius: at vero visio Dei & vnio personalis sunt per se ordinata quoad congruentiam, non quoad capacitatem, & ideo qui deficit à minore vnione, quæ est per operationem, non habet congruentiam ad maiorem vnionem, scilicet personalem, ut D. Tho. arguit. Nec in obiectione facta de capacitate est eadem proportio, quia illa duo non sunt per se ordinata quoad capacitatem, sed tantum quoad congruentiam, sæpe enim accidit defectum minoris

Obiectio 1.

Responsio.

Obiectio 2.

Responsio.

Dupliciter.

1. subordinata.

2. ordinata.

